Illustrissime Domine

Humanitatem in ipso magnitudinis fastigio ueneror: Sapiehae nomen
ueneror quod pro humanitate et simul magnitudine collocatur. Ecce
reddiderunt mihi litteras ab illustrissima manu Tuâ Filij optimi: et
quid potest esse humanius? Indicarunt simul manus a liberalissimo animo
Tuo mihi destinatum: et quid potest esse maius? Quicquid praestiti, minus
est; et inhumanus ipse, paene impius, nisi praestarem. Itaque gratiam
quantam possum maximam, manu consigno, et aeternam animo concipio:
ut omnia dicam, manum ipsam, ipsumque animum Gloriae tunc et profe-
ctui Filiorum religiosissime devovendo. Iam ipsi gloriâ digni Filij sunt, et
ingenij industriaeque laude in universâ Iuventute nostrâ eminent. Quid
multa? ostendunt se tanti Patris Filios esse, et amorem omnium merentur. Ego
meum his etiam Elementis Basilicis testari publice uolui: quae ut aliquo
loco sint, a magnitudine tua ad Humanitatem confugiunt. Vale
Illustrissime Domine, uiue uince. Illustrissimae gloriae Tuae Aeternus
cultor Louanii, in Arce Regia Prid. Non. Decembris x IX XXVI

Erycius Puteanus